

quando vnum est perfectè sphericum, & aliud perfectè planum; tunc enim se tangunt in puncto, siue reali, siue imaginabili, iuxta diuersas opiniones in materia de quantitate de tactu corporis sphericis, & perfectè plani

Quarto intelligi potest difficultas, an v. g. in motu illo quo sursum emittitur sagitta, & postea suo pondere descendit; an in illo motu resiliencia detur quies?

Respondeo affirmatiuè; quia inter motum purè violentum, & purè naturalem, nisi aliud obster, datur quies; sed motus sagittæ sursum, est purè violentus, & motus eius deorsum est purè naturalis, ergo inter vtrumque datur quies; nam duo, motus omnino contrarij debent esse duo motus beneficio quietis interrupti: imò

videmus sagittam antequam descendat veluti subsistere.

Quod si dicas, ergo graue quiescat sursum; Deinde diximus illum paruum corpus, cui occurrit magna moles non quiescere, ergo neque sagitta.

Respondeo ad *primum*, non esse inconueniens, quòd graue quiescat sursum violenter, licet repugnet quòd quiescat naturaliter; est verò magna disparitas inter sagittam, & illud paruum corpus; nam sagittæ nihil occurrit, illeque descensus sagittæ est purè naturalis; at illi paruo corpori occurrit magna moles, violenter repertiens illud paruum corpus; quare maiori ex parte descensus illius parui corporis erit violentus.



DISPUTATIO SEXTA,

DE

RELIQVIS SPECTANTIBVS AD OCTO
PHYSICORVM LIBROS.*Aperitur Disputationis status.*

Conferantur ea quæ in prædicamentis Metaphysicalibus dicta sunt à nobis, vt pote de quantitate, vbi, loco, vacuo, & tempore, cum ijs quæ hæcenus in istis Physicalibus explanata sunt, manifestum relinquetur, ad complementum doctrinæ in octo Physicorum libris proponi solitæ, superesse tantum tres difficultates: *Prima* est de infinito, an possit dari? *Secunda* de terminis rerum naturalium. *Tertia* de earundem inceptione & definitione; quæ tria tribus partitionibus enodabuntur.

S V M M A

Dicendorum in hac disputatione
sexta.

Vnèro 1. sexdecim rationes probantes pro Nominalibus dabile esse actum infinitum afferuntur. Num: 2. ponuntur viginti sex rationes probantes impossibilitatè infiniti actum, etiam diuinitus. Num: 3. soluantur argumenta nominalium. Num: 4. soluantur rationes negantes possibilitatem infiniti actum. Num: 5. Concluditur probabilitas esse, non posse dari infinitum actum. Num: 6. Diuinitas postulant maximum quod sic, & minimum quod sic. Num: 7. An inanimata postulent minimum quod sic? problema est; & rationes pro vtraque parte afferuntur & soluantur. Num: 8. an qualitas habeat præfixos ex sua natura terminos? problema est, rationesq; pro vtraque parte afferuntur & soluantur. Num: 9. quid teneant Philosophi circa inceptiorem & definitionem rerum?

Partitio. I.

De Infinito.

NE laboremus in æquiuoco, videndum imprimis est, quid nomine infiniti intelligant hic Philosophi?

Quid infinitum significet?

Pluribus ergo modis sumitur infinitum: *Primo*, pro eo quod est impertransibile, quia est indiuisibile, cuiusmodi sunt res spirituales, quæ cum careant quantitate, dicuntur impertransibiles: *Secundo* sumitur pro eo, quod difficulter pertransitur: sic labyrinthus dicitur infinitus: Item pro eo quod difficile potest attingi, sic mare propter suam profunditatem solet dici infinitum: huiusmodi variæ nominis infiniti usurpationes minus propriæ, minusque à Philosophis receptæ sunt.

Sed hæc duæ communiter recipiuntur, nempe infinitum actu, & infinitum in potentia: Infinitum actu vocatur etiam infinitum categorematicum: Infinitum in potentia, vocatur infinitum syncategorematicum. Infinitum actu, seu categorematicum dicitur illud quod habet partes actu infinitas, simulque existentes: dico simul existentes; nam si mundus v. g. esset ab æterno, Cælorum motus iam perfectisset circulos infinitos; qui tamen numerus circuloꝝ non esset infinitus categorematicè, quia omnes circuli non essent simul existentes, sed successiue; Idem dic de beatorum cogitationibus, sunt enim ad omnem æternitatem: quia tamen vna est post aliam, & non omnes simul, ideo dicuntur esse infinitæ tantum in potentia: Illud autem infinitum actu magis propriè vocatur infinitum: at infinitum in potentia, est illud quod, de se & actu est finitum; ipsi tamen detrahi, ad diuè potest in infinitum, cuiusmodi est continuum,